

Vg  
4945





Oct. 188<sup>oo</sup>

9

DE

Vg  
4945

# CONCORDIA

INTER

## THEOLOGOS EVANGELICOS ANTE DVCENTOS ET QVINQVAGINTA ANNOS INITA

SCRIPTIO HISTORICO - THEOLOGICA

D. FRIDERICI IMMANVELIS SCHWARZII

THEOL. PROF. PVBL. ORD. ATQVE ORDINIS THEOLOGORVM  
H. T. DECANI



LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

DE  
CONCORDIA

INTER  
THEOLOGOS EVANGELICOS  
ANTE DUCENTES ET QUINGENTAS  
ANNOS INITA

SCIENTIUM HISTORICIS THEOLOGICIS  
D. THEODORICI IMMANUELIS SCHWARZII  
THEOL. PROF. PUBL. ORD. ORDINIS THEOLOGICI  
A. P. DECANI



687

HALLAE  
EX OFFICINA KEHNERTII





**M**ulta nunc disputari solent de lenitate in ferendis iis, qui vel in religione vniuersa, vel in quibusdam eius doctrinis a nobis dissentiunt, multi quidem pie, prudenter et recte in illa sine periculo et detrimento veritatis commendanda versantur, verum haud pauci etiam inepte, imprudenter et imperuiose, vt mirari subeat, viros, qui pacis et concordiae reliquis studiosiores videri volunt, in commendatione virtutis illius, quam tolerantiam vulgo dicunt, tantam animi et sermonis acerbitatem et intolerabilem duritiam prodere, vt huic negotio gerendo inepti plane atque minus idonei non possint non haberi. Id enim volunt, dum lenitatem et amorem in iis diiudicandis, tractandis tolerandisque laudant, qui aliter, ac doctores veritatis diuinitus reuelatae periti, studiosi et tenaces, circa doctrinas religionis versantur tam explicandas quam probandas, et dissentum suum ab illis manifesto produunt, vt veritas ipsa abiiciatur, vera falsis misceantur, doctores recte et sentientes et docentes contemptui et ludibrio exponantur, non quod indocti, sed quod orthodoxi sunt, ipsisque veritas Euangelii pro vana laude Socinianorum et Naturalistarum venalis non est, vt praeterea sibi ius et licentia tribuatur, errores in religione sibi probatos et caros in ecclesia publice docendi, aliisque commendandi, et sic vocatione ad docendum Euangelium turpiter abutendi, fidemque ecclesiae datam magna cum impietate et turpi fraude fallendi. Horum consilia et conatus vt iure improbamus et repudiamus, ita studium pacis inter dissentientes in religione ineundae et sanciendae magnopere laudamus, et pium, iustum atque saluberrimum esse putamus, omnes intendere neruos, vt dissentientes in religione reducantur et vniantur *ἐν πνεύματι ἀγάπης*. In hoc enim verum

cernitur pacis studium et lenitas in ferendis illis, qui a nobis in religione dissentiant, si per vim et potestatem argumentorum pro veritate, et perspicuitatem in illa explicanda vel praeconcepas eorum opiniones vincimus, quae recipiendae veritati magno solent esse impedimento, vel notiones clariores in locum obscuriorum vt substituant, institutione nostra efficitur, et hoc modo vt in veritate nobiscum placide consentiant, non persuasionibus, sed argumentis obtinemus; si vero contumaces nihilo fecius sunt, non ambitiosa certamina cum iis instituimus, sed cogitamus boni doctoris esse ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ.

Tam laudabilis et digni spiritu Christi studii pacis et confessionis in fide restituendae exemplum praebuerunt pii maiores nostri illo tempore, quo Theologi superioris Germaniae a Theologis Saxoniae, Luthero, Melanchthone aliisque, qui cum iis veritatem religionis recte tenebant et constanter defendebant, in quibusdam fidei doctrinis dissentiebant, vtriusque vero partis Theologi desiderio honesto et pio pacis et concordiae ineundae tenebantur, ad quam restituendam vtraque pars contulit, quod suum erat, eam que vere restituit, et negotio illo pie et sapienter peracto exemplum lenitatis pie et prudentis in ferendis illis, qui in religionis doctrina diuersa interdum sentiunt, aliis ad imitandum exhibuerunt. Gesta sunt haec ante duo saecula et dimidium, anno nimirum millesimo quingentesimo tricesimo sexto proximis ante festum Pentecostes diebus, quae in factis illius anni eadem fuerunt, dominicae et festae, quae sunt in factis huius anni nostri, Dominica nimirum Rogate in illo anno fuit XXI. Festum ascensionis I. C. XXV. Dom. Exaudi XXVIII. Maji et sic deinceps. Rei igitur felicissimo cum successu gestae historiam ex monumentis eruemus, et vt exemplum pie et prudentis tolerationis commendabimus.

Cum instauratio verae doctrinae et sacrorum, a Luthero suscepta, maiora in dies et laetiora caperet incrementa, nec studium illam longe lateque diuulgandi finibus Saxoniae contineretur, vniuersa prope Germania emendatam et a figmentis humani ingenii, arbitrii, avaritiae, cupiditatis et fraudis liberatam doctrinam recepit, non tamen vbique ita recepit, vt per omnia cum doctoribus ecclesiarum Saxonicarum consentiret. Non omnes enim mente et fide

fide erant Lutherani, qui confessione et ore tales erant, vel haberi volebant, finitimi inprimis Helvetiae, qui clam probabant doctrinam Zwinglii et Carolostadii magis, quam Lutheri; nec consensus eorum in doctrinis fidei omnibus per Augustanam confessionem effici potuit, a qua Ciuitates maxime imperiales dissentiebant vel potius abhorrebant. Nam si vel consensum, vel dissentium earum spectamus, quatuor tum classes constituebant, ad primam referendae sunt sex, Norimberga et Reutlinga, quae augustanae confessioni, antequam exhiberetur, Kemra, Heilbrunn, Winsheim et Weissenburg, quae eidem subscripserunt, postquam exhibita fuit; ad secundam vero, quae neque augustanae confessioni subscribere volebant, neque recessus Caesaris atque imperii Wormaciensem et Spirenses probabant et recipiebant, Vlma, Hala Suev. Ratisbona, Francofurtum, Augusta Vindelicorum, etc. ad tertiam deinceps, quae recessus Wormaciensem et Spirenses recipiebant, et reformationem in vniuersum repudiabant; ad quartam denique, quae reliquos A. C. articulos probabant, excepto X. de S. Coena, et hanc dissensus sui causam interferebant, Lutherum cum sociis suis pontificiorum dogma de transsubstantiatione non plane deposuisse, et iusto plus tribuere elementis panis et vini, et verba confessionis: *unter der Gestalt des Brodts und Weins*, transsubstantiationem secum ferre; in qua opinione versabantur Argentoratum, Memminga, Constantia, Lindauia, quae ciuitates quatuor (Vlma enim, Heilbrunn et Francofurtum subscriptionem et Augustanae et alius cuiusuis recusabant,) singularem confessionem, vulgo Tetrapolitanam <sup>1)</sup> a Bucero et Capitone conscriptam, cum neque a Melanchthone, neque a Luthero, ad quem Bucerus hanc ob causam Coburgum profectus est, impetrare potuerant, vt Articulus X.

A 3

mu-

1) typis expressa legitur Confessio Tetrapolitana in Syntagmate Confessionum in Pfaffii Edit. libror. symbol. et in versione germanica in Opp. Luth. tom. XX. p. 1966. Extat D. Wernsdorfii Dissert. de Confessione Tetrapolitana. Digni praeterea sunt, qui de ea legantur V. E. Loescherus in Historia motuum P. I. p. 172. et C. A. Salig in *der ausführlichen Historie der Augspurgischen Confession* Tom. I. p. 400. sq.

mutaretur, Caesari in Augustanis comitiis iisdem exhibebant. Quae omnia sane probant narrationem et sententiam Georgii Spalatini, quam memoriae prodidit in scripto *Etliche Historica*: „Die Reichs-  
 „städte sind sehr zutrennt, denn der wenigste Theil ist rechtschaffen;  
 „die andern sind entweder zwinglisch oder papistisch.“ Continet illa  
 Articulos XXIII. inter quos XVIII. doctrinam eorum de S. coena  
 tam artificiose pictam proponit, vt nisi constaret ex historia, eos  
 Articulum X. A. C. simpliciter reiecisse, vix suspicari posses, ali-  
 quid, quod probari haud possit, in ea deprehendi, tam ambigue  
 dicta sunt omnia; quanquam enim contendant, calumniari aduer-  
 sarios suos, si perhibeant, se verba testamenti Christi mutasse, et  
 docere, nil nisi merum panem et merum vinum distribui in coena  
 Domini, tamen nullibi ponunt, corpus et sanguinem Christi vere  
 adesse et distribui vescentibus in sacra coena. Et insequens aetas  
 probauit iudicium antecedentis, multa inesse illi, quae probari ne-  
 queant, nam anno 1580. per declarationem a Conuentu ecclesias-  
 tico Argentoratensi de illa Magistratui suo exhibitam, Zwingliana,  
 imperfecta et A. C. Saxonicae neutiquam comparanda iudicata et  
 declarata, anno autem 1598. per nouum rituale ecclesiasticum  
 Argentoratense plane abrogata, et A. C. pro basi et norma doctrinae  
 declarata est \*).

Quantum autem Theologi illi, qui partim Terrapolitanam  
 conscripserant, partim eidem subscripserant, anno 1551. in secun-  
 do conuentu Schmalcaldico Augustanae Conf. subscripsissent, et  
 hoc modo Terrapolitanae tacite renunciaissent, tamen fluctuati sunt  
 animo, nec sibi met ipsis satis constiterunt, ideoque reliquis sem-  
 per quodammodo suspecti sunt visi, cuius ignominiae impatientes,  
 desiderium vniuersi cum reliquis ecclesiarum Euangelicarum, Saxo-  
 nicarum inprimis doctoribus stabiliendae declararunt, et concor-  
 diam in confessione doctrinae ineundam iis obtulerunt, hosque fa-  
 ciles ad eam et promptos habuerunt. In quo negotio vtraque pars  
 exemplum piae lenitatis in ferendis dissentientibus in religione  
 verique studii consensionem in veritate doctrinae profitenda inter  
 dissentientes restituendi, posteris imitandum praebuerunt. Altera  
 alte-

2) Salig l. c. p. 452. sq.



alteram non damnauit, conuiciis non proscidit; vñ nostra acerate tolerationis intempestiuae et iniustae praecones et laudatores, omnis ipsi tolerationis et lenitatis ignari et expertes solent, errorem, si cuius conuicta erat, non pertinaciter defendit, veritatem non prodidit, sed potius institutionem in ea partim dedit, partim recepit, et explicatam prius, illustratam et argumentis idoneis probatam atque ab utraque parte recte intellectam doctrinam vnanimi consensu probauit. Huic negotio ecclesiae vere saluari perficiendo commodum et inter omnia praecipue idoneum vtrique parti medium videbatur, vt Theologi vtriusque partis praecipui ad conuentum inuitarentur, ibique communi consilio pacem sine veritatis detrimento in doctrina publice profitenda inirent; quae res eo magis se principibus probauit, quo maiori desiderio, vires et foedus protestantium multitudine sociorum magis magisque augendi tenebantur, et quo laetior spes affulgebat pacis sancienda, ideo, quod Bucerus et Capito cum suis eam serio desiderabant, se ab illis in verbis modo, non in re dissentire arbitrati et saepe iterumque professi; <sup>3)</sup> et quod tam magistratus Argentoratensis Electoribus et principibus A. C. additis fidem consensus sui in doctrina cum iisdem fecerat, quam Bucerus et doctores ciuitatis Augustae Vindelicorum anno 1535. in octoginta propositionibus, in quibus ad articulos Nic. Amsdorffii tum in hac causa editos responderunt, propius accesserant ad veritatem a Luthero et Theologis Sax. hactenus defensam. Hac spe freti Theologi Saxoniae rem ad Princ. El. Ioh. Fridericum deferunt, ab eoque per Lutherum impetrant, vt Isenacum colloquio instituendo ab ipso designaretur; quod vero consilium morbus Lutheri irritum fecit; Grima eligitur, eoque Melancthon iter ingressus erat cum Crucigero et Torgauiam vsque progressus, sed vt Wittebergam, cuius videndae desiderio flagrabant Theologi exteri, reuerterentur, mature moniti, hospites ibi amice exceperunt, ante iam Gothae a Friderico Myconio humanissime exceptos, et ad colloquium Wittebergae institutum bene praeparatos, dum lucem affunderet iis potissimum doctri-

3) Bucerus in tomo Anglicano p. 635. et *Historia des Sacramentsstreits* a Tim. Kirchnero, Nic. Selneccero, et Mart. Chemnitio 1584. edita. p. 210.

doctrinis, circa quas dubii et ancipites haecenus haeserant. Laeto faustoque omine Wittebergae adsunt die XXI. Maii Dom. Rogare Mart. Bucerus; Wolfg. Fabr. Capito; Gereon Seiler et Wolfg. Musculus, Augustani; Bonifacius Lycosthenes, Ioh. Bernhard, Francof. qui synodum Wittebergensem seu historiam huius colloquii scripsit; Martinus Frecht, Vlm. Gernasius Schüler, Memming. Iacobus Otther, Esling. Matthaeus Alberus et Io. Schradinus, Reutlingenses, Mart. German, Surfeldensis, praeter hos etiam adfuit D. Zwick Constantiensis, sed sine praescitu Magistratus formulae consensus subscribere non ausus est<sup>4)</sup>. De felici consilii successu et studiosus Melanchthon, ideo quod Bucerus adesset, qui haud ita pridem Zwinglii et Oecolampadii epistolis, in quibus doctrinam de S. coena a Theologis Sax. repudiatam repetierant, et ab iniuriis tam erga Princ. El. Sax. quam Lutherum sibi non temperauerant, praefationem praemiserat. Sed nihilo secius coepto exoptatus respondit euentus, illustri sane documento, piam lenitatem in ferendis iis, qui in religione dissentiunt, plurimum ad pacem et concordiam in- eundam valere. Vere enim iniere concordiam, cuius formulam post aliquot colloquia inter Lutherum, Bugenhagium, Ionam, Crucigerum, Melanchthonem, Menium, Myconium, Wellerum, Georg. Rorarium ex vna, et Bucerum atque Capitonem ex altera parte habita, Melanchthon conscripsit, de sacra coena, baptismo et absolutione, et Bucerus e cathedra academica praelegit praesentibus omnibus, in qua consensus in doctrina de S. coena cum A. G. disertis verbis exprimitur: „cum pane et vino vere et substantia- liter adesse, exhiberi et sumi corpus Christi et sanguinem „concedere, sacramentali vnione panem esse corpus Christi, hoc „est, sentire, porrecto pane simul adesse et vere exhiberi corpus „Christi — porrigi vero corpus et sanguinem Domini etiam in- „dignis, et indignos sumere, vbi seruentur verba et institutio „Christi“).“ In doctrina vero de baptismo eius, quod de fide infan- tum in co. collata vulgo dicitur, veritatem mira perspicuitate et

pru-

4) *Salig. Historie der Augsp. Conf. Theil I. p. 429.*

5) *Seckendorff's Historie Lutheranismi lib. III. sect. 15. §. XLVII. Addit. lit. c. p. 132.*

prudencia ita expresse- runt, vt ratio, quod contra moneret, omnino non haberet. Statuerunt enim vnanimi consensu, Spiritum S. infantibus per baptismum ob promissionem cum ea coniunctam conferre iustificationem, seu remissionem peccatorum et ius consequendi salutem aeternam, quae in adultis conferetur per fidem. Digna sunt formulae illius verba, quae hic legantur: „Und wiewol man nicht eingentlich wissen kann, welcher gestalt und auf was weise die besondere Wirkung Gottes ihm zu gefallen und selig zu werden in ihnen geschehe, so ist doch dies gewis, das in ihnen erwecket werden neue heilige Vebungen der Bewegungen, wie auch in Iohanne geschehen ist, da er noch in Mutterleibe lag. Und wiewol man nicht gedenken soll, das die Kinder verstanden, jedoch so werden die Bewegungen und Neigungen dem Herrn Christo zu glauben und Gott zu lieben, solchermassen verglichen den Bewegungen, so beyde der Glaube und die Liebe sonst haben. Und das wollen sie auch verstanden haben, wenn sie sagen und lehren, das die Kinder eignen Glauben haben. Denn also reden sie, damit man verstehen könnte, das die Kinder nicht heilig oder selig werden ohne eine besondere Wirkung Gottes in ihnen.“ Eodem modo veteres Theologi nostri de fide infantum et senserunt et docuerunt, e quibus vnum instar omnium nominasse sufficiat, Chemnitium, qui ita rem explicat: „Certum est, Spiritum S. in infantibus efficacem esse, et quidem ita efficacem, vt regnum coelorum, hoc est, gratiam Dei et remissionem peccatorum accipere queant.“ Cui Consensus formulae cum sub-

6) Opp. Luth. Hal. tom. XVII, p. 2531.

7) In Exam. Concil. Trident. P. II, sect. X. §. 14. p. 338. Ad illustrandum illud, quod in his verbis F. C. de fide infantum per baptismum collata dictum est cum consensu omnium, iuuat ea huc e Bernardi Synodo Wittebergensi repetere, quae hac de re in vtramque partem disputata sunt, antequam formula conciperetur: „Darinn habe es sich aber bey etlichen gestossen, weil der Glaube in der Schrift gemeiniglich genommen wird für das gehalten und annehmen des gebürten Wortes Gottes, nach dem Spruch Pauli: fides ex auditu: haben wir wohl mit dem heiligen Augustino und andern Vätern gesagt und geschrieben, das die Kindlein dermassen keinen Glauben haben. Aber so man den Glauben wolte weirläufiger nennen für alle an Gott Ergebung, so möchte man die Kinder auch Gläubige heissen, denn wir gänzlich glauben und lehren, das den Kindern die wahre Wiedergeburt allda und rechte

B

„Kind-

subscriptiffent octodecim Theologi, eam vtraque pars suis commendauit, Bucerus in duabus epistolis, et Lutherus, qui et ad ciuitatem Argentoratensem in eadem causa literas dedit, et Bucerus Argentoratum redux factus, ibidem articulos concordiae Wittebergensis doctoribus et auditoribus vberius explicauit; idque vtriusque et consilia et commendationes effecerunt, vt formula illa vtrique probata Augustae Vind. Argentorati, Ulmae, Isniae, Francofurti, Wormatiae, Landauiae, Weissenburgi, Eslingae et Kemtae reciperetur. Heluetii autem etsi animum suum ab illa recipienda haud quaquam alienum esse testati, et a Bucero in publico colloquio Tiguri anno 1538. habito meliora et rectora edocti, eam nihilo secius repudiarunt, aliamque formulam consensus scriptam die IV. Maii eiusdem anni Luthero tradiderunt<sup>8)</sup>. Quamquam vero Lutherus haec omnia, quae pacis pariter ac veritatis studium requirebat, bona fide tractabat, tamen calumniam Pontificiorum<sup>9)</sup> effugere non potuit, eum per hanc formulam et tacitam approbationem formulae consensus Heluetiorum doctrinae suae de S. coena renunciaffe, et ad castra Zwinglianorum transiisse, quam vero a se depulit per repetitionem sententiae suae in A. C. et semper defensae in Art. Schmalcald. art. VI. factam, quod et a reliquis Theologis die 24. Februarii 1537. auctoritate principum factum est subscriptione horum articulorum et simul A. C. et Apologiae eiusdem, quippe in qua consentientes profitentur, se relegisse articulos confessionis Aug. et se omnes iuxta articulos confessionis et apologiae sentire et docere in ecclesiis suis; prolixius vero reliquis omnibus Ioannes Brentius professus est, se legisse, et iterum atque iterum relegisse Confessionem et Apologiam, legisse item formulam concordiae in re Sacramentaria Wittebergae cum D. Bucero et aliis institutam, legisse denique articulos Schmalcaldicos, iisque nomen suum adscribere<sup>10)</sup>.

Nec

*„Kindschaft Gottes mirgetheilt werde, und das der b. Geist in ihnen wirke nach ihrer masse.“* Opp. Luth. tom. XVII. p. 2557.

8) Opp. Luth. tom. XVII. p. 2608.

9) *Historie des Sacramentsstreits* p. 262. et Casp. Pencer de Philippo Melancthonis sententia de Controuersia coenae Domini. Vide etiam ea de re Loescheri *Historiam motuum* P. I. p. 249, et *Salig. Hist. des A. C. P.* I. p. 434 seq.

10) *Historie des Sacramentsstreits* p. 263.

Nec suspicari poterat Lutherus cum suis, pacem illam et concordiam aliquid insidiarum habere, cum Theologi illi exteri non solum nemine suadente et urgente formulae illi placido omnium consensu subscriberent, sed etiam in communionem sacrorum cum Theologis Sax. venirent. Suavis est narratio huius rei, quae in monumentis historiae illius aevi extat. Rogarunt illi, ut nostri omni suspicione contraria liberati pro iis haberentur, qui Confessioni Aug. adstipularentur, quo facto a Lutero et reliquis cum iis sancta est concordia et dextrae datae sunt, toto animo commotis Bucero et Capitone, ut et lacrymas funderent"). Ut nimirum Theologi ex Alsatia et Sueuia verum animi candorem et serium pacis et concordiae studium ostenderent, et nostris quouis modo probarent, et in aede parochiali Wittebergensi quidam eorum conciones habuerunt, et sacra coena usi sunt. Res hoc ordine gestae sunt. Die XXV. Maii, memoriae ascensionis Christi sacro Wellerus, Myconius et Iustus Menius pro concione dixerunt, et circa vesperam Lutherus de verbis Marci XVI, 15. de quo Myconius refert: 12), *Zur Vesper hat Lutherus geprediget ganz herrlich und geistreich von den Worten Marci: Gehet hin in alle Welt, und prediget das Euangelium allen Creaturen; ich habe Lutherum zwar oftmals hören predigen, aber dazumal war mir nicht anders zu Sinne, denn als rede er nicht allein, sondern donnerte aus dem Himmel selbst im Namen Christi.* Dom. Exaudi Matthaeus Alberus mane, Mart. Bucerus a meridie, Lutherus vesperi conciones habuerunt, et eadem Bucerus et Capito, ut consensus sui veritatem in conspectu ecclesiae quam solemnissime testarentur, ad communionem sacrae coenae ibidem administratae accesserunt. De concione a Bucero habita Lutherus honorifice sensit, sed popularitatem, ut nunc vulgo dici solet, in ea desideravit 13).

B a

Ita

11) Seckendorffii Hist. Lutheran. P. III. p. 130.

12) *im Bericht und Sendschreiben an M. Veit Dietrich zu Nürnberg des Convent zu Wittenberg betreffend anno 1536.* in Opp. Luth. tom. XVII. p. 2542.

13) Verba Lutheri fuerunt: *„ich könnte keine solche scharfe und gelehrte Predigt thun, als wir heute von euch gehört haben. Ich halte aber den Brauch, wenn ich auf die Kanzel komme, so sehe ich mich um, was für Leute da sitzen, und weil die meisten Wenden seyn, so predige ich ihnen*

Ita quidem placide composita et pacata omnia videbantur, et vere erant, sed laetitia inde percepta et pax ipsa haud fuit diuturna; Bucerus enim, vt semper, ita et hic varium se et mutabilem minusque constantem gessit. Primo enim historiam conuentus et concordiae Wittebergenfis in tomo Anglicano <sup>14)</sup> longe aliter narravit, ac Myconius et Bernardus aliique ex nostris, qui omnes licet alter alterum non exscripsit, in narrationibus suis conueniunt omnes. Id obseruarunt tres antea nominati Theologi, libri *Historie des Sacramentsstreits* auctores, et in quibus Buceris narratio differat a nostrorum historia ostenderunt <sup>15)</sup>. Et quanquam post conuentum Wittebergensem saepius, et inprimis in Retractionibus suis consensum suum cum nostris in doctrina de vera et substantiali praesentia corporis et sanguinis Christi in S. coena, et de sumtione eiusdem ab indignis pariter ac dignis confirmauerit, nihilo tamen fecius ab illa deinceps sententia et confessione recessit, huiusque rei documentum publicum extare voluit in Confessione ad Heluetios missa, cui hoc modo subscripsit: *Martinus Bucerus ita in Domino sentio, et in hac sententia opto venire ad tribunal Domini, manu mea, Anno MDXLIV. Iunii 5. die.* Quae igitur fuerit eius de S. coena sententia vltima, nunc ipsius uerbis ostendemus. In illa confessione consensum suum cum Luthero de vera et substantiali praesentia corporis et sanguinis Christi in sacra coena, sed diffusum suum ab eo de sumtione eiusdem ab indignis perspicue declarauit. Quae confessio cum non sit vbiuis obuia, ex eius exemplari, quod extat in Rudolphi Hospiniani Historia Sacramentaria ab annum 1544. sententiam Buceris ipsius uerbis conceptam oculis lectorum subiiciemus.

De vera et reali praesentia corporis et sanguinis in S. coena, mentem suam in Formula Concordiae Wittebergenfi, ad quam deuo prouocat, declaratam repetit articulo XVII.

„For-

„ihnen was ich dencke, das sie verstehen können. Ibr aber flieget altzu-  
 „hoch im Gaisch, Gaisch, daher schicken sich zwar eure Predigten für  
 „gelehrte, aber unsere einfältigen Leute können euch nicht verstehen.  
 „Darum gebe ich mit diesen um, wie eine herzliche Mutter mit ihrem  
 „weinenden Kinde, dem sie die Brüste so gut sie kann, in den Mund  
 „giebt, und es mit ihrer Milch träncket.“ Iunii Compendium Secken-  
 dorffianum P. III. p. 249.

14) p. 649. 684.

15) P. 249.

„Formas verborum Domini in his rebus simpliciter sequor,  
 „et fide mentis, et sermone confessionis et doctrinae credo, sen-  
 „tio, confiteor, praedico: in S. Coena cum pane et vino, quae  
 „signa *exhibitiva* sunt, sicut erat flatus oris Domini, quo tradidit  
 „discipulis Spiritum S. dari et percipi corpus et sanguinem Christi,  
 „et nostram fractionem panis atque communicationem calicis Do-  
 „mini, communicationem, non panis et vini tantum, sed etiam,  
 „vt Spiritus S. discrete testatur, corporis et sanguinis Domini esse;  
 „exhiberi, dari et percipi: eoque praesentes haberi in S. coena  
 „duas res, vnā coelestem, corpus et sanguinem Domini; alteram  
 „terrenam, panem et vinum. Quae verba Irenaei in articulis  
 „Concordiae Wittebergae constitutae, posita sunt <sup>16)</sup>.“

Vberius videm et doctrinam suam explicat in articulo XXII.

„Verum quia etiam satisfaciendum est omnibus Christianis,  
 „quod ad me attinet, de mea circa hoc mysterium fide, si incido  
 „in aliquem, qui veretur, me non satis plene confiteri exhibitio-  
 „nem et praesentiam Domini in Coena: Ego illi simpliciter expono,  
 „quod sentio, vere et re ipsa dari et percipi hic, eoque vere  
 „etiam adesse corpus et sanguinem Domini, ac verum corpus: id  
 „scilicet, quod traditum est pro nobis; et verum sanguinem, ni-  
 „mirum, qui pro peccatis nostris fusus est, siquidem coena sacra ex  
 „instituto Domini celebratur, et verbis, quibus sese exhibet, fides  
 „solida habeatur.“ Extremis his verbis iam satis clare consensum  
 suum cum Heluetiis, quod indigni non accipiant corpus et sanguinem  
 Christi, ostendit, sed ne cui dubium suboriat, ita vere Bucerum  
 sentire, mentem suam dilucidius exposuit in articulo XXIV.

B 3

„Im-

16) Hunc articulum Bucerus illustrat in sequente articulo 26. in quo  
 simul Lutherum, qui doceat, panem ipsum esse corpus Domini, vel  
 in pane et id omnibus fumentibus piis et impiis, et consensum suum  
 cum Lutero defendit, hoc modo, Lutherum his suis loquendi modis  
 nihil quam veram exhibitionem Christi in coena velle exprimere: pa-  
 nem et corpus Domini, non idem natura, sed sacramento facere:  
 corpus Domini non includere pani localiter: non opinari, ascensum  
 vel descensum Christi hic fieri; cum igitur, vti ipse, duas res in sa-  
 cramento agnoscat, corpus Domini et sanguinem, et symbola, nec  
 colliget aut commisceat haec vlla ratione huius mundi, denique a non  
 credentibus verbis Domini, et non viua fide credentibus, *nihil salutare*  
 hic percipi affirmet, quae omnia ex scriptis et ore eius Bucerus cogno-  
 verit sic habere, cur non consensum cum illo agnosceret?

„Impiorum rationem haberi hic, reiiicimus: Quanquam Deus ad-  
 „mirabili suo iudicio nonnunquam impios etiam ad tempus fide do-  
 „net, vt Christum in aenigmate percipiant ac degustent, vt Euan-  
 „gelium, ita etiam Sacramenta ipsa Matt. 13. Heb. 6. At qui  
 „prorsus nihil habent fidei, iis verba Domini, quibus se in coena  
 „exhibet, ludibrio sunt. Vt ergo illi nihil afferunt ad haec, quam  
 „sensum et rationem, quae ad ista mysteria non pertingunt; Ita  
 „nihil quoque cernunt, nihil attingunt, in hoc aenigmate et spe-  
 „culo huius sacramenti, praeter hoc, quod sensibus patet.“ Quae  
 cum Lutherus legisset et mutatam Bucerii sententiam, aliosque et  
 in his Melancthonem a veritatis tramite non nihil deflectere intel-  
 lexisset, eodem anno edidit: *Kurzes Bekenntniß vom heiligen  
 Abendmahl*; quod Lutheri scriptum in hac causa vltimum fuit et  
 praestantissimum merito iudicatur ab omnibus. De inconstantia  
 vero Bucerii in doctrina de S. coena copiose exposuit V. E. LOE-  
 SCHERVS in *Historia Motuum P. III. c. II.*

Abstet tamen, vt propter vnus inconstantiam vniuerso con-  
 cordiae illius negotio iustum pretium detrahamus, quod nihilo se-  
 cius ecclesiae multum profuit; nam ex illo tempore, quo haec  
 sancita est, ecclesiae superioris Germaniae cum ecclesiis Saxonis  
 in fide placide consenserunt omnes, et ecclesiae γνησιως Luthera-  
 nae seu Evangelicae fuerunt; et inconstantia atque fluctuatio Bucerii  
 in vna doctrinarum religionis argumento est, rarissime omnes in  
 vnum consentire, nec vnquam futurum esse, vt omnes, qui in so-  
 cietate ecclesiae externa iisdem legibus coniuncti sunt, et iisdem  
 mediis ad consequendum finem communem vtuntur et coniunctis  
 viribus allaborant, in omnibus idem cum omnibus sentiant; quare  
 leges piae lenitatis in ferendis dissentientibus in hac vel illa doctrina  
 religionis violant et pacem impediunt, qui illos ferre non volunt,  
 qui de vna vel pluribus rebus in religione aliter ac illi sentiant et  
 iudicant, immemores sane consilii Paulini Ephes. IV, 2. 3. μετὰ  
 πάσης ταπεινῆς Φροσύνης καὶ πραότητος, μετὰ μακροθυμίας, ἀνεχόμενοι  
 ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἐνότητά τοῦ  
 πνεύματος ἐν τῷ συνδεσμῷ τῆς εἰρήνης. Huius vnionis seruandae  
 si qua vnquam ecclesia studiosa fuit, nostra sane est, hac quoque  
 aetate, qua omnes, qui in religione omnia, quae diuina sunt et  
 per immediatam reuelationem manifestata, abiciunt et ludibrio  
 habent,



habent, tolerari volunt, et lubenter tolerantur vt ciues in republica, tolerantur et in ecclesia, modo non doctores illius esse, et secus ac doctrina Scripturae S. et norma doctrinae publicae ab vniuersa ecclesia examinata et recepta docere velint. Vera ecclesia Lutherana, quae ab Euangelio et fide non recedit, non repudiat pacem cum secus sentientibus, iis non denegat amorem, non detestatur concordiam, illam nimirum, quae cum detrimento veritatis coniuncta non est, eos non persequitur, non odio habet, non inuidiosa et ambitiosa cum iis certamina alit ac fouet; sed nec vult ab illis a veritate et fide, eiusque professione publica depelli, de sede sua deturbari, iuribus suis priuari et exui, et religionem christianam in naturalem mutari, haec enim est pax ista, quam illi cupiunt, concordia nimirum in stabiliendo socinismo et naturalismo, in detorquendis propositionibus verbi diuini ad eum sensum, qui et ab vsu linguae et hermeneuticae regulis alienissimus est, cum significationis autem suis per omnia conuenit, et in abiiciendis tam fidei doctrinis praecipuis et fundamentalibus, quam formalis doctrinae publicae, concordiae seruande causa recipiendis et retinendis, vulgo libri symbolici didicis. Eiusmodi concordia non est *ἑνώτης τῶν πνεύματος ἐν τῷ συνδεσμῷ τῆς ἐκκλησίας*, sed turpis proditio veritatis et fidei. Et qui fieri possit, vt concordia cum contemptoribus religionis eiusque obtredataribus iniuri vel sperari queat, qui ne admonitiones quidem mansuetas et humanas, multo minus institutionem de veritatibus, quas odio habent et risu exponunt, ferre possunt, sed significationes amoris cum studio veritatis coniuncti conuiciis, obtredataionibus, et ludibriis rependunt, nobisque studium seruandae veritatis et fidei vitio vertunt. Vos non ignaros esse, Ciues Optimi, putamus studii nostri veritatem Euangelicam puram et incorruptam, quae nihil habet insalubre, docendi, et ab erroribus illi oppositis vos dehortandi, sed ea, quae Theologos decet, lenitate et mansuetudine ac modestia, nosque ab inuidiosis istis certaminibus cum aduersariis abhorre, et eos patienter ferre, quibus Saxonia et Lipsia ideo male audit, quod religioni christianae, fidei euangelicae et formulis concordiae et consensus in doctrina publica nondum renunciauit, sed harum ingens et verum pretium a piis et eruditis Iureconsultis, viris magni nominis, cui magnitudo meritorum suorum omnino respondet, pariter ac veris

et

er recte sentientibus Theologis, quibus non sua, sed Christi gloria  
 curae est cordique, qui non quaerunt quod suum, sed quod Christi  
 est, et Philosophis vere christianis agnoscitur. Talis vnionis con-  
 cordiae et consensionis in fide vinculo vos omnes obstructos cupi-  
 mus, vt vobis cum vniuersa ecclesia Christi sit *εις Κύριος, μία πίστις*.  
 His quoque diebus, memoriae beneficii, primis ecclesiae Christi  
 doctoribus ab eo tributi per missionem Spiritus, qui est Spiritus  
 fidei et amoris, sacris, consensionem in Spiritu et fide confirmetis  
 eiusque *πληροφορίαν* continuis sanctitatis christianae exercitiis au-  
 geatis. Hoc consilio vos Sacris nostris solemnibus interesse cupi-  
 mus, inter quae Vir Clarissimus, IOANNES CAROLVS BOETT-  
 CHERVS, Zittrauia — Lusatus, Philosophiae et liberalium artium  
 Magister, multis laudibus et scientiae et virtutis ornatissimus,  
*De Spiritu S. dono linguarum miraculoso et ecclesiae et apostolis tam  
 utili quam honorifico*, dicit, simulque pro vita et salute Serenissimi  
 Principis Electoris, FRIDERICI AVGVSTI, Patris patriae  
 Indulgentissimi, Eiusque Serenissima Coniuge et Filia pia nuncu-  
 pabit vota. Ad quae audienda et a nobis cum eo simul nuncupan-  
 da Vos, Comites Illustrissimi, Vtriusque reipublicae Proceres  
 Grauiissimi, Commilitones Generosissimi et Praenobilissimi, verbis  
 decentissimis et humanissimis inuitamus. P. P. Dom. Exaudi  
 A. R. S. H. MDCCLXXXVI.



m.c.

vd 18


**ULB Halle**

3

006 387 969







Farbkarte #13

B.I.G.

Dr. 188<sup>ca</sup>

9


Vg  
4945

DE  
CONCORDIA

INTER  
THEOLOGOS EVANGELICOS  
ANTE DVCENTOS ET QVINQVAGINTA  
ANNOS INITA

SCRIPTIO HISTORICO- THEOLOGICA

D. FRIDERICI IMMANVELIS SCHWARZII  
THEOL. PROF. PVBL. ORD. ATQVE ORDINIS THEOLOGORVM  
H. T. DECANI



LIPSIAE  
EX OFFICINA KLAYBARTHIA.

